

glorietur esse factam ; quæ etiam reverè modicas censeretur , si non plura , quam ipse nimis parcè recitat , fuissent castigata. Fatoor equidem , me integrum corrigerorum Synoplin nuboquam vidisse; Nec M. Verinus mihi illam fuisse communicaturus.

## CAPUT QUINTUM

### De Citationibus S. Scripturæ , & de Cardinali Vitellio.

Num. I. Quamvis Justus non sim , nisi ea Justitiâ , quam peccator à fonte omnis justitiae deprecando desiderat : ero tamen accusator mei (in quantum opus fuerit) in principio sermonis. Modestus Verinus pag. 201. sibi ex me objicit sequentia : „ Dum P. Hierotheus dicit , quod „ nostra statua Observantinum Caputium gestet . „ primatum Ordinis à Capite statu , quam „ vis non velit , pro Observantibus asserit , ac „ quasi ex psal. 132. concludit : quod ipsi ceu „ Minores hierarchici sint , sicut unguentum „ in Capite , quod descendit in barbam ... & „ in oram Vestimenti. Dial. Cont. pag. 161. „ Ad quæ quidem respondendo me vix tangit , invehendo tamen pag. seq. ait : „ Ceterum , „ quod attinet allegatum propheticum textum „ sicut is inconvenienter , adeoque & irrever- „ renter adducitur . ac applicatur , ita nobis „ per

per illum ansa præbetur, P. Joannem hoc Ze-  
lo redarguendi: scire debebat, cùm sit Sacer-  
dos, & Religiosus, quidnam retinet, sacris pro-  
phetarum Verbis abusi, & Indum facere nu-  
gaci, & admodum indecorâ applicatione.

Num. 2. Imprimis ego non habeo: conclu-  
dit, sed: si concludere velit, scilicet P. Hiero-  
theus, idquedixi in circumstantiis quo ipse con-  
testabatur, se ex oculari visu Observasse, quod  
statua Vaticana quoad Caputium, Observantem,  
quoad Barbam & Chotdam, Capucinum, &  
quantum ad amplitudinem habitûs, Conventua-  
lem, non abrue Dei natus (ut inquietabat) myste-  
riosè repræsentaret. Ubi proinde ego mysterium  
non inveniens, nisi forte in Decreto Pontificio  
Cap. I. n. 3. allegato; & Dei nutum non ca-  
piens, nisi illum, sive nec capillus de Ca-  
pite cadit; meis verbis Dialogicis (quorum ip-  
se prater propter substantiam adducit) quasi  
quæsivi: si forte velit ad textum illum Prophe-  
ticum suo mysterio alludere? quem ego proin-  
de textum non tam meo, quam ipsius ductu  
produxi absque ulla adjuncta applicatione: Sic-  
que potius Hierotheanæ Observationis volui  
mysteriositatem censurare, quam applicationi il-  
lius textus accedere, quam ipse R. P. Hiero-  
theus quodammodo indigitabat, cudento myste-  
rium. Et licet adjectam increpationem, quâ M.  
Verinus me excipit, post pauca sim majori cum  
fundamento versurus in alium; equidem, si ita  
cicum-

circumstantionatā sacri textū adductione, in aliquis fortè discreti Lectoris judicio, tantopere erraverim, deprecans revoco: sciens, quod mysteriosa non nisi mysteriosis convenient.

Num. 3. Hisce nunc veluti per modum purgationis Canonice, vel saltē reparatiōnis debite, à me præmissis deveniamus ad rem in hoc Capite propositam. R. P. Hierotheus in sua Epitome ad Annum 1558. pag. 298. sic narrabat:

„ Inter hos autem Adversarios nostros, si non  
„ præcipius, saltē potentissimus quispiam  
„ Cardinalium erat; qui Papæ favoribus fretus,  
„ ac æmularum precibus importunis lassatus, ne-  
„ dum conceperat, sed & pargameno jamjam  
„ mandaverat Bullam, sub gravibus censuris ju-  
„ bente, ut Capucinorum Familia se unlens  
„ Observantium Corpori, eorundem Ministris  
„ in omnibus obtemperaret (quis illam legit)  
„ dūmque ad opportunum tempus, quo senculo  
„ Papæ bellis hæc modis proponi, ac effectui  
„ mandari valerent, nullâ non arte, omnique  
„ calliditate attenditur, interīmque cavetur, ne  
„ minima horum notitia ad aures Capucinorum  
„ pertingeret; En! Cardinalis consilii maligni  
„ promotor, criminum non levium reus coram  
„ Papa (scilicet Paulo IV.) insimulatur, indé-  
„ que fugam attipit, ut vult Boverius, velut  
„ Falodus ait, captus ac tentus in mole Adriæ  
„ ni recluditur, ex eaque ad alteram vitam de-  
„ cedit (has potius commenta, quam commen-  
„ taria

„ *taria sunt, ut videbimus postea* ) Humiliatio  
„ itaque male nobis volente *Vitellio*, ( NB. hic  
„ eit Cardinalis ille ) desit quoque tota nostra  
„ *quassatio*; & quia, ut ait Leo Papa, *plus peri-*  
„ *culi est in insidiatore occulto, quam in hoste ma-*  
„ *nifesto*, hinc Ordinis tunc erat, & nunc est,  
„ Deo cum Davide has gratias dicere: *nisi quis*  
„ *Dominus adiuvit me, pauper minus habusse*  
„ *in inferno anima mea.* ps. 93. Ex quibus verbis  
mei Dialogizantes meritò intellexerant tantam  
ejusmodi separationis primorum Capucinorum à  
Corpore Observantino necessitatem, ut suadere  
contrarium fuerit *malignum consilium*, & ip-  
sum non separari fuisse inductivum inferni; quam  
deinde injuriam Corpori Observantino illatam,  
per textum Propheticum confirmare, seu exor-  
nare, manifestum putabant abusum esse Sacrae  
Scripture, que calumniam prohibens, eam  
confirmare non potest.

Num. 4. Cùm interim expost R. P. Hierotheus cum suo M. Verino, jam ad annum fuisse set occupatus in conficiendo contra meos Dialogizantes Discursu Polemico, quo tam unum, quam alterum à se, suáque injuriante Epitome abstergeret; ex singulatí gratia, ac Illustrissima benevolentia, tam ille, quam ego admissi semel fuimus, ad Rmum aliquod Mensale Consortium; in quo cum suptè dictus passus in medium traheretur, commonebar à R. P. Hierotheo istius, pro gratiarum actione, applicatio-

tionis Authore, ut legerem ipsum *Le Blanc*, & invenirem, quod in tali textu per infernum intelligendum veniat sepulchrum. Ad quod, cum ego interrogasset; quis ergo in casu non separationis primos Capucinos occidisset, ut ita in sepulchro animæ eorum habitassent? colloquium quidem abruptum fuit, sed locutus ejus ( vir qualificatus, & forsitan in opere *Discursus Polemici cooperator*) meo Socio dixit in aurem: intelligi debere de sepulchro oblivionis. Hoc Hierotheanum effugium ego probè sciens, cum ipsis contextu *Epitomes* non posse stare, quin potius sat violenter fuisse exclusum (cum virum ex personali conventione in estimatione habetrem) ut vel applicationem suam de inferno revo- careret, vel aliâ ad minus viâ, & ratione interpretando cohonestaret, sequentes ad ipsum, sci- licet R. P. Hierotheum dedi Litteras.

Num. 5. , Cùm sat circumstantialiter in-  
tellecerim, Adm Rvdam Paternitatem vestram  
nedum feliciter absolvisse, sed & Typogra-  
pho Luxemburgensi pro parte extradidisse De-  
fensorium suæ *Epitomes*, in quo ego, una  
cum meo *Itinerario*, quantumcunque Ro-  
mæ probato egregiè [ut multi ex Vestris spar-  
gant] excipiendus essem, & refutandus; sic  
nullatenus puto mihi in malam partem ver-  
tendum, si Charitatib[us] præmoneam ea, ad  
quæ Paternitas vestra Armdm Rvda perquam  
necessario habet reflectere.

„ imd,

„ Imò, Audivi, quod summoperè in mad  
„ lum sumpserit, quòd ego in Itinerario meo  
„ dixerim, omnia Divisionis Ordinis vestri à  
„ nostro initia esse à Deo non positivè intenden-  
„ te, sed permittente &c. De mea sanè mente  
„ particula *non* collocanda erat ante tò *esse*, vel  
„ *omnia*, & non ubi modò per errorem Ty-  
„ pographi, vel alterius locata legitur; ità, ut  
„ meus sensus non fuerit universalis, quasi om-  
„ nia planè ejusmodi Divisionis initia taliter ie-  
„ se haberent, sed aliquod, vel aliqua,  
„ quod dialecticè coincidit cum *non omnia*,  
„ Neque ullam planè invenio difficultatem  
„ probandi ex Boverio, & ipsamet vestra  
„ Epitome, quòd aliqua, vel saltèm aliquod  
„ illius initium (si non quoad substantiam, ad  
„ minus quoad modum) non potuerit positivè  
„ intendi à Deo, utpote, qui nihil intendit,  
„ nisi, quod est in se, & in omnibus suis mo-  
„ dis, & circumstantiis bonum. Cum quo-  
„ meo asserto equidem stat, quòd illa divisio  
„ sit bona, & Sancta, imò optima, & san-  
„ ctissima, prout etiam in Prologo meo meritò  
„ exclamandum dixi: *O felix divisio*, per quam  
„ S. Francisci Ordo tam in immensum multiplicata-  
„ rus est! Et sanè quis translationem Filiorum  
„ Israël in Ægyptum non diceret bonam, & à  
„ Deo positivè intentam, licet inter alia ejus  
„ initia, etiam fuerit odium fraternum, & ven-  
„ ditio

„ ditio Joseph, quæ Deus solùm permisit, &  
„ positivè intendere non potuit.

„ 2dò: Ex ore proprio R. Admodum Paternitatis Vestrae intellexi, qualiter in allegato contra nos textu Davidico: *nisi, quia Dominus adjuvit me, paud minus habitasset in inferno anima mea*, per *infernum*, juxta le Blanc, intelligendum veniat sepulchrum... Quid. quid de hoc sit: non nego per ipsum le Blanc, atque etiam alios per infernum ibidem intelligenti posse sepulchrum; præsertim, si David loquatur de adjutorio Dei respectu persecutoris Saulis, & non de sua liberatione à peccato adulterii & Uriæ-cidii. Ast lego etiam in iisdem variis horum nominum *Diaboli*, & *Sathanæ* interpretationes, quæ omnes nihilominus, sicut nihil albedinis, sic multum nigrinis secum portant, & dum similia verba Capitibus hominum superimponuntur, non indicium bene-sed malevolentie est.

„ Interim dolendum esse puto, pro Admodum Reverenda Paternitate vestra, quod benignam ejusmodi suæ allegationis interpretationem, tam validè in sua Epitome præoccupaverit, eamque per contextum ibidem expressum, nimis violenter excluderit: si enim meminerit, narrabat ibidem per aliquot lineras ab ante, qualiter Cardinalis Vitellius Pontifici suassiser, licet non persuasisset, ut primos Capucinos sub nativa obedientia Mi-

„ nistri Generalis Observantium contineret, seu  
 „ reduceret; propter quod etiam vocat illum  
 „ maligni consilii promotorem, adjungitque,  
 „ illum subito in disgratiam summi Pontificis  
 „ incidisse, & in Custodia obiisse &c. quem  
 „ obitum exponens additione mentionati Sacri  
 „ textus sic concludit: *Humiliato itaque illo Vi-*  
 „ *tellio Ordo noster ex tunc, usque in hodiernum*  
 „ *diem has cum Davide Deo potest dicere gratias:*  
 „ *nisi, quia Dominus adjuvit me, paulo minus ha-*  
 „ *biasset in inferno anima mea.* Deinde in In-  
 „ dice suæ Epitomes sub Littera P. Persecutores  
 „ Ordinis puniuntur jam à Deo, jam ab Ecclesia,  
 „ mittit Lectorem ad illum Cardinalem Vitel-  
 „ lium; tanquam punitum à Deo, utique  
 „ propter præsumptum consilium: quia nullius  
 „ planè alterius delicti, Capucinicūm Ordinem  
 „ respicientis, ipsum reum facit:

„ Quibus nunc ita, ut sunt, dispositis, hoc  
 „ formo, & quilibet mecum efformare poten-  
 „ rit concludens argumentum: si suadere per-  
 „ manentiam sub nativo Capite Observantino  
 „ fuerit *malignum consilium*, à Deo nedum  
 „ puniendum, sed & de facto in isto Cardinali  
 „ Vitellio punitum, ergo permanentia illa de-  
 „ buit fuisse moraliter mala (cùm Deus mala  
 „ purè politica non puniat) consequenter & in-  
 „ ductiva pœna à Deo Vindice infligendæ, quæ  
 „ in hac substrata, utique graviori materia foret  
 „ pœna infernalís, omni ferè maligno consilio

„ com-

„ competens , & quam etiam Cardinalis ille,  
„ nisi actâ pœnitentiâ , non effugisset. Sicque  
„ ad oculum ruit crinibus attracta inferni pro  
„ sepulchro oblivionis suppositio ; quam pro-  
„ inde , si mens vestra intendisset , aliter con-  
„ textus suæ Epitomes instruxisset. Quid juvat  
„ ergo infernum tapetis funeralibus obducere ?

„ Varia adhuc circa sic punitum Cardinalém  
„ Vitellium hic veniunt , & fortè suo tempore  
„ adhuc magis venient examinanda. Forsitan  
„ punitionis hujusmodi sententia vestra , nimis  
„ dura , & præcipitata à multis judicabitur re-  
„ formanda ( si non revocanda ) nam ut dicitur  
„ l. absentem ff. de poenis. Ex singulis suspicio-  
„ nibus nemo debet puniri ( ergo nec punitus de-  
„ clarari ) sed Sanctius est , impunitum relinquā  
„ faciens nocentis , quām innocentem condemnari.  
„ Imprimis ne vel umbra alicujus historiæ ad-  
„ umbrat captivitatem illius Cardinalis Vitellii ,  
„ veluti ob suprà mentionatum consilium in-  
„ flitam ; quod tamen , si Reverentia vestra  
„ non dicit , saltē innuit , & in citato Indice  
„ suo , delictum ejus etiam usque ad forum Dei  
„ effectivè extendit ; unde paulisper videa-  
„ mus , quid jura in utroque foro , pio , vel  
„ contra Vitellium illum dicant.

„ Sanctalis punitio in foro fori foret contra  
„ jura , secundum quæ in hoc foro quia pro con-  
„ filio non tenetur , nisi delicto consummato. In  
„ ff. de Verb. signif. l. sepe. Delictum autem ,

„ ad quod tendebat Cardinalis Consilium, fuit.  
„ set hic primorum Capucinorum ad primæ-  
„ vam obedientiam, reductio, quæ consum-  
„ mata non fuit; alias celsasset gratiarum actio.  
„ Deinde Consilii non fraudulenti nulla est obli-  
„ gatio, ut dicitur in ff. de Reg. Jur. §. Consi-  
„ lium; Ceterum, si dolus intercesserit (qui  
„ hic à nemine probatur, & à jure non præsu-  
„ mitur, nisi probetur) tunc de dolo solùm actio  
„ competit; ut sequitur loco jam citato. Et  
„ hujus Regulæ (quæ etiam habetur in 6to De-  
„ cretal. de Reg. Jur.) aperta est ratio intrinseca:  
„ quia datum consilium non necessitat, sed ex-  
„ plorate quis apud se ipsum debet, an consi-  
„ lium sibi expedit, ut habetur l. 2. ff. §. fin.  
„ Exhortatur enim ille, qui dat consilium, &  
„ exhortatio liberas habet habenas, liberamque  
„ voluntatem solùm excitat, non cogit. An  
„ forte summus Pontifex malignitatem comple-  
„ visset, si Consilium Cardinalis Vitellii sequens  
„ primos Capucinos paucos, & quasi binos &  
„ binos, sub Jurisdictione Ministri Generalis,  
„ sub quo religiosè nati fuerant, coëgisset, &  
„ suam Reformationem (quam primi equidem  
„ deferuerunt) in- & non extra Ordinem orditi  
„ jussisset?

„ Neque etiam in foro Dei præsumenda,  
„ multò minùs publicè, & absolutè afferenda  
„ est præfati Cardinalis ob hujusmodi consilium  
„ divina punitio: nisi forte ab eo, qui illam

„ per

„ per revelationem didicisset ; nam aliás quilibet ad minus de contrario dubitare deberet, &  
 „ in dubio non præsumitur malum, sed semper  
 „ in dubiis benigniora praferenda sunt, ut dici-  
 „ tur ff. de Reg. Jur. §. semp. Imò Verius tenet S.  
 „ Augustinus in Enchrid. & transumptivè habe-  
 „ tur in c. is autem. 22. q. 2. Afferere dubium  
 „ tanquam verum, & certam, reputatur mendaci-  
 „ um, vel non longè à mendacio. Neque hic  
 „ debemus ire per conjecturas, & suspiciones, ut  
 „ prohibetur in l. 1. ff. de quæst. Et si per si  
 „ miles incedendum foret, tamen hæc deberent  
 „ esse non à Spiritu privato fabricatae, sed fun-  
 „ datae ; quales Admodum R. Paternitas vestra,  
 „ de punitione divina respectu Vitellii Cardina-  
 „ lis non adfert, nec habet ; neque aliquis  
 „ alius unquam habuit, aut etiam modò aliquis  
 „ tales habere poterit, nisi forte inabdicabile  
 „ voluerit involare officium cordium scruta-  
 „ toris.

„ Ad similitudinem horum vacaret forte etiam  
 „ obviare aliis, si, sicut hæc, ita & alia cona-  
 „ mina vestra mihi essent nota. Sanè meo do-  
 „ lore fieret, si ad Superiorum mandatum denud  
 „ deberem me ad Defensionis defensionem pa-  
 „ rate. Interim in tali casu me consolaretur,  
 „ atque etiam in aliorum judicio me faceret ap-  
 „ parere innocuum illud, quod Terentius in  
 „ Prologo inquit : Si quis est, qui dictum in se  
 „ inclementius existimet esse, sciat responsum

„ non dictum esse. Et S. Hieronymus Epist. 14.  
 „ ad Augustinum, Tom. 2. Oper. Augustini:  
 „ Si in defensionem mei aliqua scripsero, in te  
 „ culpa sit, qui provocasti, non in me, qui re-  
 „ spondere compulsa sum.

„ Sanè non ignoro Voluntatem, & iterata  
 „ mandata Vestri Reverendissimi P. Genera-  
 „ lis, defensivum Opusculum Vestrum (ne  
 „ forte de novo offensivum fiat) non adeò de-  
 „ siderare; sed potius pro pace inter nos duos  
 „ summopere inclinare; quam & ego (qui  
 „ priuò manum contra aliquem movere, nun-  
 „ quam didici) libenter complectar, ut sic  
 „ (compensatis jam modò compensandis) exi-  
 „ mia concordia sincerè, & integrè servetur,  
 „ ac post contentiones depositas, amicitia re-  
 „ conciliata plus habeat jucunditatis. Fortè &  
 „ aliunde attentato operi vestro, juxta moni-  
 „ tum Luciani, satius erit recurrere, quam  
 „ malè currere, præsertim, si denud Stylus  
 „ vester nimium attulerit nigri salis; vel ut ju-  
 „ venalis ait: plus Alvei, quam mellis, aut,  
 „ si fortè incesserit, sicut ille apud Plautum,  
 „ de quo hic ait: altera manufert lapidem, al-  
 „ tera panem ostentat. Hæc dum vobis seclusâ  
 „ omni præsumptione, ex amore pacis, per  
 „ Litteras hasce indicare volui, sub demississi-  
 „ mo respectu signor, & sum,

Treviris die 14. Januarii 1755. Adm. Rvdæ  
 ac Religiosissimæ Paternitatis Vestrae  
 Infimus Servus F. Joannes Mataro. mpp.  
 Num. 6.

Num. 6. Has litteras vel ex eo publicare debui, quod nonnulli, Verini, nescio, an Modesti sparserint, me in litteris ad R. P. Hierotheum datis nedum ertonea, sed & adeo impertinentia posuisse, ut eadem essent per Notarium Vidimandae, & in meam confusionem publicanda per alios, quibus proinde illum laborem subtrahere volui. Deinde ex hisce Litteris R. P. Hierotheus nil ita sibi arripuit, aut reflexione dignum judicavit, quam tres, vel quatuor textus, quos suo M. Verino contra me inspirans, tum *Discursus Polemico* praefixit, tum praefationi ad illum inseruit; unde colligo, quod primum quadrifolium cum titulo Libri (forte adhuc exspectans approbationem sui Reverendissimi P. Generalis) ultimò imprimi curaverit, istam equidem meorum textuum usucapiōnem, utpote cuilibet licitam, non vitupero: sed an textus illi ita eidem, sicuti mihi in adjutorium sint, non æquè capio, præsertim ille S. Hieronymi: *Si in Defensionem mei &c.* suprà. Notum enim est, quod ego nunquam adhuc aliquid ad publicum dederim, nisi provocatus, & imposita mihi obedientia defendendi meum Ordinem; Hierotheana autem Epitome, & Ordinem, & primum Dialogum meum, RR. PP. Capucinis in nullo assignabili verbo contrarium, primus censuravit, quam censuram per editum expost Iter quarta diei, seu tripartiti Dialogi continuationem (prout impartiales ex Col-

niensis Universitatis Facultate Theologica mihi testantur) leges justæ defensionis servando , nec Charitatem in aliquo lædendo , pro modulo meo absteri. Et equidem nunc iteratò provoco per M. Verinum , qui in Hierotheanas offensiones activas , nedum subintrat , sed & in *Discursu suo Polemico* novas multiplicat.

Num. 7. Multùm profectò intererat , pro *Discursus Polemici* confectione M. Verino inspirare , ut non segniter attenderet ad circumstantias , & contextus , per quos Litteræ monebant , dictum illud scripturisticum cum sepulchrali illo intellectu non posse stare , benignamque illam interpretationem ab allegato Sacro textu per Hierotheanum contextum (qui & ipse unà cum Circumstantiis loquitur) esse exclusam , consequenter per *infernum* nihil maneret intelligendum , nisi id , quod à Deo puniente infligitur , malignoque consilio correspondet , ut supra ostensum est in Litteris. Insuper ad minus apparentiam Divinæ punitionis probare debisset ipse M. Verinus. Ast unde hæc probaretur , ubi ne quidem ostendi poterit , Cardinalem Vitellium , *non levium criminum reum coram Papa fuisse insimulatum , indeque fugam arripuisse , ut vult Boverius , vel ut Balodius ait , captum , ac tentum in Mole Adriani inclusum , ex eaque in alteram vitam decessisse*: Nam neuter illorum Verisimile quid assert , ut statim parebit. Imò hæc Vitellii ruina debuisset statim post Maligni ejus.

ejusmodi consilii promotionem accidisse: quia R. P. Hierotheus, postquam malignitatem consilii descripsérat, immediate subdit: *En!* *Cardinalis Criminum &c.* ubi per Calepinum, & alios adverbium: *En*, vel *Ecce* rem impro- visam, subitánque significat; quæ omnia po- stea videbimus, qualiter subsistant.

Num. 8. Interim, uti superiùs dictum, ità híc factum: nam M. Verinus pag. 108. & seq. passum Propheticum cum le Blanc expo- nens ait: quòd, nisi Deus adjuvisset, tunc per malignum consilium, quod pars Observan- tina cudebat, & Cardinalis Vitellius promove- bat, Religio Capucinica fuisset, neci tradita, in Cunis suffocata, oppressa, & extinta, velut- tique in sepulchro jaceret; & hoc in sensu R. P. Hierothei importabat illud: *paulò minus habi- tasset in inferno anima mea*; quâ deinde explica- tione præmissâ, se ad me inclinans, subdit:

„ At nunc prudens Lector audiat quoque, ac  
„ examinet Glossas, quibus Neo-Paraphra-  
„ stes (ego sum) non tam ipsam S. Scriptu-  
„ ram, quam P. Hierothei, in ejus *Epitome*  
„ sat clare significatam mentem elucidat, sen-  
„ sūmque sanum in pravum, finistrúmque  
„ Charitate suggerente detorquet dicens: *Qua-*  
„ *si verò sub uno superiori Regulari stare cum*  
„ *Observantibus*, foret habitare in medio Natio-  
„ *nis prava*, & quasi societas illa esset, aut fuis-  
„ *set induciva pœna infernalis*, sicut occasio pro-

„ xima peccandi ; nisi forte per infernum vellet  
 „ intelligere Limbum , aut ex Ordine Observan-  
 „ tino maculans facere purgatorium . Quid  
 „ ad hanc paraphrasin prudentia indifferentis  
 „ Lectoris ? anceps utique cum M. Verino ha-  
 „ rebit , an ex errore intellectus , an ex vitio  
 „ voluntatis , an ex utroque manatur ; sed  
 „ nec perspicere poterit , quid congruentiae,  
 „ quid veritatis , quin & quid Charitatis (quæ  
 „ Chorum hic dicit) paraphrasis tam extorta  
 „ redoleat . *Quis unquam audivit talia .* „ Hu-  
 cusque Verina Modestia .

Num. 9. Antequam adhuc ad ipsam rem  
 veniam , lubet pariter interrogare : quis un-  
 quam audivit talia ? Scilicet Sacram Capucino-  
 rum reformationem in casu non separationis à  
 nativo Capite fuisse neci traditam , extinctam ,  
 velutique in sepulchro jacere ? Sanè paulò ante  
 Capucinorum Originem in Ordine nostro jam  
 exsurrexerat *Reformatio Recollectorum* (quod M.  
 Verinus quidem negat , ego autem in sequen-  
 tibus probabo ) & ex post *Discalceatorum* , at-  
 que alia simpliciter sic dicta *Reformatorum* :  
 quæ equidem laudatae Reformationes , nec neci  
 traditæ , nec oppressæ , aut extinctæ jacent in  
 sepulchro ; sed in Ecclesia Dei suis sub  
 statutis particularibus , fructificant , &  
 nonnullis Observantibus (qui ultrò fatentur ,  
 se non tam rigidis constitutionibus ad  
 finem , seu Regulæ Observantium duci , nec  
 sese

sese Regulam cum tanta puritate servare) exemplum dant Reformationis, multosque successivè reformant; licet cum illis sub eodem Capite, & in unitate Corporis Mistici persistent semper, & persistent, divisionem totius abhorrentes, ne Legalem S. Francisci successorem videantur contemnere; qualis modò regens, sicut & immediatus ejus prædecessor non ex Observantibus, sed ex Reformatis assumptus est in Ministrum Generalem totius Ordinis Minorum. An forte tunc temporis Ordinis Capita Reformationem Recollectinam amantia, foventia, & protegentia, Religiosissimam Capanorum Reformationem, quantumcunque diversa, aut perfectiori observantiae Regulari accommodata statuta amplexantem impedivissent, aut retraxissent? profectò talia dici nequeunt pro illo Ordinis statu, quo præcedentes omnes Ordinis Reformationes non ita pridem sub Leone X. in unum Observantiae Corpus, dismissis relaxatis, unitæ fuerant, & nova post unionem Recollectorum Reformatio jam incepserat, aliisque omnimoda aperiebatur via ad eam. Imò hæc circa quæstionatum annum 1558. insigniter ubique florebat.

Num. 10. Si separationem Trincianæ Reformationis à Conventionalibus hic objicias; paritas non est, cùm hæc semper manserit Capiti Ordinis subjecta, à quo per Concilium Constantiense, & Eugenium IV. sic dicti Observantes

de

de Familia unà cum PP. Conventualibus dependebant, nec differebant, nisi in modo vivendi, ac Methodo regiminis; unde de Ordine ità ex Observantibus, Conventualib[us]que constituto Ludovicus à Turre in Apologia legitur apud *Firmamenta*, ante Leonem X. conscripta, part. 3. pag. 241. Edit. Venet. 1513. ità loquitur: *Integer est Ordo, integra Religio, lucet non integra Observantia ejusdem Ordinis; unus est Generalis Minister, Caput etiam Observantium.* Et part. 2. art. 1mo prosequitur: *Pro nunc dico, quod mira sapientia Eugenius ita providit, Observantibus eximi à Conventualibus, quod tamen Ordo integer remaneret.* Quia, ut in fratre dicam, modus vivendi inter Observantes, & Conventuales bene est scissus, non tamen est Religio divisa: & propterea relinquit in ea unum tantum Generalem, qui sit superior utrorumque, cui & Confirmationem Vicarii Generalis, Visitationem in persona, & hasusmodi in Bulla reservavit: & hoc, ut semper in nobis appareat unitas Ordinis, & Religionis. Et in virtute illius Eugenianæ (Reformatione Observantinæ solùm secundum quid à Conventualibus separatâ) S. Bernardinus Senensis fuit primus Vicarius Generalis, quem Observantia habuit, ut ait Rodericus Tom. 1. q. 4. art. 2. Atque hæc ipsa Observantina, non extrâ, sed intrâ Ordinem facta Reformatio, nedum per suam sub communione Capite continentiam, non fuit sepulta, quin potius

potius exposit sub Leone X. totali horum ab illis divisione, ad primatum Ordinis unâ cum sibi unitis quatuor aliis Ordinis Reformationibus perpetuo jure extitit sublimata, uti alias videbimus. Laudo interim hic Hierotheanam, Modestique Verini discretionem, quæ ad notabilem hanc separationum differentiam, nunquam vult reflectere, licet in illa Cardo quæstionis potissimum versetur.

Num. 11. Ast deveniendo ad propositum: sit sepulchralis illa explicatio (cui soli M. Verinus se totum impendit) hic sana, & salva; miror equidem, quod *Malignitatem* à tali consilio non studuerit abstergere, seu expressionem illam (quæ observantino Corpori potissimum onerosa est) non nihil mitigare. Verum, quod scripsit, scripsit: *Malignum* fuisse illud reunions in Capite Consilium repetit, defendit, & Discursus Polemici pag. 110. probat per Syllogismum, quem nodum vocat à me non solendum, & est sequens: „ Qui felicitatem publicam, multiplicem animarum fructum, magnumque Ecclesiæ commodum, & ornatum suis consiliis & auxiliis turbare, impedire, tolleréque conatur, maligni utique conaminis (Consilii) vel cusor, vel Promotor appellari meretur; atqui certus iste Prælatus (Vitellius) dum ad quorundam crebrieres, & urgentiores instantias occultis, se risque studiis admitebat, ut Capucini Observ,

Observantium Cœtui reunirentur, hanc se-  
 licitatem turbare, hunc fructum impedire,  
 hoc commodum, & emolumentum tollere  
 in votis ac in contentione gerebat (NB.  
 de hoc nihil est in Majori) ergo &c. Ita M. Ve-  
 rinus, cui posset applicari illud, quod Dino  
 Philosophus cuidam dicebat: *si meis te auribus  
 audires, taceres.*

Num. 12. Minorem illius Syllogismi mihi  
 reservando, nego majorem, licet M. Verino  
 tam vera, & evidens videatur, ut superfluum  
 duxerit, aliquam illius addere probationem:  
 ego illi oppono sequens Enthymema: *Non om-  
 nis, qui dicit falsum, mendax censendus est; ergo  
 nec omnis, qui consult malum, seu minus bonum  
 contra bonum magis, maligni Consilii Cusor, aut  
 promotor est appellandus.* Probo antecedens ex eo,  
 quod dicitur Caus. 22. q. 2. c. 4. *Nemo men-  
 tiens judicandus est, qui dicit falsum, quod pu-  
 rat verum, quoniam, quantum in ipso est, non  
 fallit ipse, sed fallitur.* Non itaque mendacii, sed  
 aliquando temeritatis arguendus est, qui falsa in-  
 cautus credit, ac pro veris habet. Consequentia non  
 minus probatur; *Si enim linguam ream non fa-  
 cit, nisi mens rea.* ut inquit S. Augustinus de  
 Verbis Apostoli, & transumptivè habetur loco  
 supra citato cap. 3. *Malignum etiam consilium*  
*non facit nisi dolus, & mentis malitia.* Secun-  
 dum autem Cicerone Lib. 8. de Natur. Deor.  
*Malitia est versura, & fallax ratio nocendi;* ex  
 qua

qua Cardinalem Vitellium consulendo egisse, nec constat, nec probatur; Imò nec præsumendum est, quia, ut notat Baldus in l. 1. C. de serv. fugit. Col. 4. verbo: Et non quod: ut ex consilio quis teneatur, requiritur, quod constet de malo consilio, alias in dubio debet interpretari, quod bonum sit consilium, vel saltē non malē datum. Et D. Thomas sup. Psal. 36. in princip. totum, quod hic dico, & adhuc copiosius dicere possem, nobis explicat dicens: *Malignus dicitur quasi malus ignis, id est pravans babens intentionem.* Unde Virgilius: *aditusque maligni, id est, ad seductionem inducentes.*

- Num. 13. Poterat sanè Cardinalis ille reflectere ad Aphorismum Hypocratis: *Novitates plerūmque querelas, & discordias pariunt.* Pro quo Imperator l. 3. ff. de Constit. Princip. *In rebus novis constituendis, evidens esse utilitas* debet, ut recedatur ab eo, quod dici à quum risum est. Sicque etiam poterat carere dolo, de quo Justinianus in Cod. l. 2. de *Malo dolo* inquit: *dolum ex perspicuis, id est, ut Glossa addit: ex probationibus manifestis, probari convenit.* Atque secluso hoc dolo manifestè probato, *ex consilio etiam pernicioso nemo obligatur,* ut habet glossa interlinearis *Instit. Lib. 3. tit. 27. de Mandato.* Sicque Cardinalis Vitellius in foro fori est absolvendus, & in foro Dei ab homine non judicandus, aut punitus declarandus;

licet

licet alias, si veritas publica sit, non erubescamus in Ecclesia confiteri punitiones divinas, etiam si ipsum Ecclesiae Caput, ad terrorem aliorum tetigissent. Poterat etiam Cardinalis reflexionem fecisse ad Caput 8. Regulæ Minoritanæ, in qua præcipitur, & à Summis Pontificibus Obligationis Mortalis esse declaratur: *Universi Fratres unum de Fratribus istius Religiosi teneantur semper babere Generalem Ministrum, & servum totius Fraternitatis, & ei teneantur firmiter obedire*; sicque consulendo potuit ne- dum sine dolo procedere, sed & sancte cum Religione, ipsisque primis PP. Capucinis putare: nam non omnes unam, eandemque rem eodem modo semper apprehendunt, eo quod, ut dicitur c. *sicut in Sacris. de Consecr. Dist. 4.* quot Capite, tot sententia. & quilibet in suo sensu abundat. Cujus potest esse ratio: quia diversitatem corporum, sequitur diversitas animorum. c. *quia. de Concession. Præbend.* Accedit, quod ex natura sua consilium sit in his, que possunt aliter se habere, ut dicit Aristoteles lib. 6. Ethic. & Commentator ejus ibidem inquit, quod *consilatio sit habitus conjecturativus operabilium secundum rationem optimi.*

Num. 14. Profectò inter causas, quare etiam boni, & benè sentientes inter se dissentiunt, S. Bonaventura in *Determinationibus Questionum q. 20.* ponit etiam hanc: quod non omnes agnoscant æqualiter Veritatem in omnibus: contingit

tingit enim, quod aliquis intelligat illud pro alia parte non fore expediens, vel illud magis fore expediens, quam aliud; & dum uterque hoc, quod ipse melius Judicat, vult promovere, & quod nocivum credit, vult impedire, sic dissensio fit inter eos, id est diversa sensio: non perversa, cum uterque bene intendat, & melius sibi praefixum habeat. Sicut inter Paulum, & Barnabam pro Joanne Discipulo, quem voluit Barnabas assumere in socium prædicationis suæ; sed Paulus prohibuit, timens, ne non perseveraret in continuatione laboris, & sic per eum Barnabas impediretur; & ita dissentiebant, seu diversa tentiebant. Sic etiam in Expositione S. Gregorii, orante Daniele pro populi liberatione à Captivitate. Angelus dixit, quod ejus oratio dudum esset exaudita: sed Princeps Persarum, id est Angelus Gentis Custodiæ deputatus, restitutus viginti uno diebus. An forte & hic Angelus Malignus sit resistentiæ accusandus, volens retardare effectum orationis jam exauditæ, & impedire bonum Divini Cultus, à populo liberato, suoque altari in Jerusalem restituto sanctius exhibendi? absit talia cogitare; Unde idem S. Paulus bonam ejus intentionem interpretans subdit: ut diutius afflitti pleniū à peccato purgarentur. Quid ergo mirum subjungit S. Bonaventura suprà, quod boni quandoque pro bono dissentire videntur, respectu diversarum consideratio-

num, si & Apostoli, & Angeli in eadem ratione  
ne dissentiunt inventi sunt?

Num. 15. Nunc ad Minorem Syllgisini,  
seu nodi solvendi, quæ erat hæc: „ Atqui cer-  
„ tus Prælatus ( Maneat assertum Hierothea-  
„ num , dicaturque *Cardinalis Vitellius*) dum  
„ ad quorundam crebriores , & urgentiores  
„ instantias occultis , seriisque studiis adnite-  
„ batur , ut Capucini Observantium Cœtu-  
„ reunirentur , hanc felicitatem turbare , hunc  
„ fructum impedire , hoc commodum , &  
„ emolumenntum tollere in votis , ac in con-  
tentione gerebat , ergo &c.

R. Imprimis , quod potuerit illa omnia non  
prævidisse , uti ex Jam fusè dictis satis patere  
potest , sicque nec illorum bonorum sublatio-  
nem in votis habuisse , ne aliàs tam Apostolo ,  
quam Angelo suprà sinistra vota , perversaque  
( quod absit ) intentio affingatur ; Unde ( Ma-  
jore jam satis falsificata ) vel ex hoc solo falsa  
est & Minor . Deinde , si bona illa separatio-  
ni hujusmodi tam præcisè annexa velis : vide  
ne & in hoc Reformationes nostras *Discalceato-  
rum* , *Reformatorum* , & *Recollectorum* [ de  
quibus suprà Num. 9. ] offendas , utpote quæ  
Reformationes talium pariter bonorum conce-  
mitiantiam prætendunt , absque eo , quòd ab Ob-  
servantibus , non in tali rigore Regulam obser-  
vantibus , in Capite divitiae sint . Unde etiam  
simul ruit suppositum illius , quod M. Verinus

pag. 112. dicit: me scilicet quā Continuatorem Dialogi sānē meo voto nunquam concursurum, ut Observantes Reformati non Reformatis jungantur; in Capite enim cum Observantibus non Reformatis juncti sumus, & erimus, spe-rantes fore, ut dilectissimi equidem in Christo & S. Francisco Fratres, & Confratres no-stri rigidiora Reformatorum statuta particula-ria successivē adhuc admittant, & itā univer-salia faciant, ut ne in hisce quidem ab illis dis-crepemus; qui interim cum illis uni Ministro Generali, de facto ex Reformatis Canonice as-sumpto, Obēdimus, non minorem Obedien-tiam ex animo p̄fstituri, si talis etiam ex ip-sis ad tale Officium, Canonica Ordinis electio-ne, assumatur.

Num. 16. Nec dicat M. Verinus, prout pag. 111. de plano (Anguillam per caudam arripiens) asserit, me minorem illius Sylo-gitmi propositionem in Prologo *Dialogi Cont.* concessisse: quia solum concessi illam secundūm quid; quaterus scilicet Capucinorum separa-tio, & in diversum numero Ordinem distinctio ad miram Filiorum S. Francisci multiplicatio-nem à Deo est ordinata, & ob hoc dixi in Pro-logo: *O felix divisio, quā sacer Minorum Or-do tam ad mundi sup̄p̄em multiplicatus est!* Ast potuitne, ac debuit Cardinalis ille finem istum, quena Deus nondum palam fecerat, jam statim, & veluti à Cunis separatae Capucinorum Con-

gregationis de pleno agnoscere, & quod futurum erat in tota sua latitudine prævidere; sicut nos illum defacto, & ex consequenti agnoscimus, & admiramus? Et quis non videt falsitatem istius Minoris, vel ex sola adjectione verborum illorum: *hanc felicitatem & fructum impedire &c. in votis gerebat* (quæ, si etiam in Majori, ordinationi argumentatione, apposita fuissent, forte hanc concessissim) potuit námque Cardinalis ille ex motivis supra adductis, felicitatis, ac fructuum hujusmodi futuram contingentiam ne quidem apprehendere, sique nec horum sublationem *in votis habere*: cum nihil volitum, nisi præcognitum. Imò, ut tibi apertius loquar, aliud est minus bonum bonâ fide consulere, & longè aliud: impedimentum majoris boni *in votis habere*, quæ non tendunt in incognitum. Dissipatis proinde, ac destructis præmissis, si M. Verinus non revocet, saltè recedat à conclusione, quâ conformiter ad R. P. Hierotheum infert: Cardinalem Vitellium, Capucinorum cum Corpore Observantino reunionem suadentem, fuisse *Maligni consilii promotorem*. Verùm ager animus ardori ingenio usque adeò temperare non posset, ut *indicta velit*, quæ dixit; quod M. Verinus mihi pag. 244. ad-scripsit, satius tamen illud ex Waddingo sumet pro se; ut ita, quid recipitur, ad modum recipientis recipiatur.

Num. 17. Hujus Cardinalis tam plausibili-  
ter assertæ ruinæ ( à punitione divina , mindis  
adhuc afferenda , hic præscindo ) reverà non  
invenio , cur fidem , vel aliqualem adhibeam ,  
quin potius , cur Boverio , Salodiisque discre-  
dam . Ex vicina Bibliotheca in manibus habeo  
gesta Cardinalium edita venetiis 1701 . Autho-  
re Jo. Palatio J. U. D. Archi-Presbytero , S. C.  
Majestatis Historico , Consiliario &c. qui vo-  
lumine 3. sub Paulo IV. scribit , quod Vitel-  
lius , seu *Vitellius Italus Tiphernas* ( alias istius  
nominis , saltè in vicinia istorum tempo-  
rum Cardinalis non fuit ) Alexandri Filius castra  
Pontificia duxerit , sub Pontificibus Clemente  
VII. Paulo III. Julio III. ex Angena rubea in  
Patavina Universitate , ubi per 6. annos stu-  
dio incubuit , Lauream retulit Juris pruden-  
tiaz ; inde Romam veniens sub Julio III. Cle-  
ricus Cameræ Apostolicæ , mox Patriæ Episco-  
pus annuna cum ageret 28. à Paulo vero IV.  
Idibus Martii 1557. Diaconus Cardinalis Ss.  
Sergii & Bacchi factus ; à secretis fuit , ejus-  
que Consilium Paulus Pontifex tam in publi-  
cis , quam in privatis semper requisivit . Se-  
dente Pio IV. è Ss. Sergii & Bacchi ad S. Ma-  
ria in Porticu , & postea ad S. Maria in via la-  
ta , melioratis proventibus , translatus ; Anno  
1564. defuncto Guidone Asconio Sphortia S.  
R. E. Camerario , Vitellius ipse renuntiatur Ca-  
merarius . Munera plura , Legationesque mul-

tas obivit Vitellius ob acre ingenium, Magnificentia Clarus omnes juvit, Litteratos singulari dilectione infecutus: quod variarum Disciplinarum, Latinæ, Græcæque linguae cognitione delectaretur, Magistros semper paratos habuit, quamvis mutos, & mortuos (scilicet libros) cum quibus versabatur assidue, & absque eorum consilio ne latum unguem movebat. Viros omni Litterarum genere claros Domi aluit, mercede conduxit ex alienis etiam Provinciis; Cujus famâ evocati studiosi ad eum veluti ad Mœcenatem toto Orbe conveniebant. Vincentius Tiphernas *Juris Oraculum*, *Cancellarie Interpretem* appellavit. Patramellarius neminem Vitellio Cardinali, vel ingenio, vel Legum peritiâ, vel morum suavitate præferendum agnoscebat. Ejus memoria in Litteris Julii Perusci. Legatus sub Pio IV. de latere per totam Campaniam, ac Maritimam, SS. Inquisitionis ac Congregationis Concilii, ac gratiæ signatûræ Praefectus, Galliæ Regni Protector, ac Priviligeriorum, quæ Pius IV. exereentibus Agriculturam in alma Urbis districtu, segetesque ad eam afferentibus concesserat, Conservator, magnam ex his laudem cumulavit. Post mortem in ejus memoriam cusa sunt numismata ab amicis, quorum in fronte Vitellii imago cum notis: *Vitellius Card. S. R. E. Camerarius*, ex adverso agri Romani sub vomere, & Epigram: *In arata jacet. Comitiis cum adfuisset*

Pii IV.

Pii IV. & V. Romæ vitam posuit die Veneris, 13. Kalen. Decemb. anno 1568. horâ noctis secundâ, sepultus in Diaconia S. Mariae in via lata ante Aram SS. Cypriani, & Catbarina. De eo scribunt Patramellarius, Sfortia, Palavicensis in Histor. Conc. Trident. Pro symbolo habuit: *Cor sapientis quarit doctrinam, & os stultorum pascitur imperitiâ.* proverb. 15.

Num. 18. Omnia sanè de isthoc Ecclesiæ Prælato inveniuntur laudabilia, nisi quod in Hierotheana Epitome ex fonte Boveriano proclametur, & in Discursu Pelemico, attentatiè saltè probetur, *fuisse maligni consilii promotorem.* Quæ labes equidem abstergenda forte foret juxta instructionem Clem. VIII. Indici Librorum prohibitorum præfixam, quæ tit. de Correctione Librorum. §. 2. sic habet: *Quæ fama proximorum, & præsertim Ecclesiasticorum, & Principum decrabit, expungantur.* Notandum etiam venit ex suprà dictis, quod rui na Cardinalis, fugaque, vel Mors in Mole Adriani, in Hierotheanâ Epitome relata, debuerit contigisse vix completo anno Cardinalatus ejus: Ruina enim illa à R. P. Hierotheo refertur ad annum 1558. & factus fuit Cardinalis 1557. Ast, tam mors, quam fuga ejus sub ruina Hierotheanæ assertionis jacere dignoscuntur, dum constat, Vitellium glorioissime vixisse usque ad decembrem anni 1568. Videat nunc M. Verinus, cui verius applicet suum *Dic. So-*

des, dictorūmque acrimonias, quibus etiam ratione hujus passus me onerat; quæque hic piget repetete, & explicitè in Authorem suum, majori cum veritatis fundamento repercutere. Sed transeant cum cæteris erroribus. Hoc tamen hic adhuc adjecerim, quod M. Verinus pag. 111. per *Ennunc*, & *Editi*! me recapitulans, & evidentiam sui syllogismi, sibi potius, quam mihi iteratò ob oculos ponens, *malignum consilium*, quasi imperceptibiliter in *Malum*, studeat convertere; absque eo tamen, quod *malignitatem* revocet. Non minus videtur agnovisse, tam ipsum factum Vitellii Cardinalis, quam eus fugam, vel mortem in Mole Adriani, malignique consilii punitionem (abstrahendo à Corporis Observantini præjudicio) in injuriam Familiax Vitellianæ esse conficta; unde Hierotheanam Epitomen eatenus corrigens, loco *Cardinalis Vitellii* substituit *Ecclesia Praetatum*: ut sic sub individuo vago ipsa veritas tu tius absconderetur, & falsitas à nemine examinanda, pro veritate apprehenderetur.

Num. 19. Unum interea adhuc est, quod miror, scilicet scrupulositatis in Domino M. Verino subitanea mutatio; immo duorum oppositorum Combinatio: nam mox usque ad impatiens protestatur, nomen *Persecutoris Calamo* Hierotheano respectu Observantium non excidisse; atque etiam mox illos, unà cum Cardinali Vitellio persecutores esse, profitetur se proba-

probare, & probat, si non re ipsâ, saltēm in  
conatu. Nam pag. 31. me Vehementer ar-  
guens dicit: „Simulque advertendum tmo eo.  
„dem Numero (scilicet mei Dialogi Cont.) erro-  
„ne, falsoque dici, atque nec ex *Epitome Hi-*  
*storica*, nec ex *Provincia Rhenana* à quopiam  
erui, minus verò ostendi, probarive posse,  
quod meus P. Hierotheus sub *persecutorum*  
nomine in Minores Observantes unquam  
intenderit, utpote probè sciens, quod S.  
Congregatio vocabulum hoc in Annalibus  
Boverii expungi, corrigique præceperit; „  
Ita ibi. Ad quod possit queri, an ergo ex-  
punctum ejusmodi vocabulum S. R. E. Cardi-  
nali, scilicet suprà mentionato Vitellio fuerit  
reservandum? Et equidem idem M. Verinus, su-  
prâ dictis suis non obstantibus, pag. 112. secun-  
dam formatæ ex me objectionis partem, *de Car-*  
*dinali persecutore* concedens, & dictum Hiero-  
theanum verum probans, ponit, quod idem  
(Vitellius) *querundam* (scilicet Observantium)  
*Patronus*, sicut *mali* (relinquatur *maligi*, de  
quo quæstio est) *consilii non quidem Cusor*. sed  
*promotor*; Ita & suo modo (*Epitome Hierothea-*  
*na loquitur absolutè*) *Ordinis persecutor exten-*  
*sit*: Imo suprà N. 3. dicitur *insidiator*. Et pro-  
sequitur: *Caserum an ea interessatorum consilia,*  
*atque molimina magis ex zelo divina gloria, quam*  
*ex respectibus, nescio quibus, assumpta fuerint,*  
*& conglomerata, judices alius*. Ubi, licet

fortè nullus alias, ob superius relata, voluerit loco illius cum Observantibus, & Cardinali Vitellio intrare in judicium, in actu tamen signato M. Verinus sibi assumit illud: *Nobis non lices judicare quemquam.* Econtrario fortè plurimi mecum judicabunt, ac conglomerata Observantinæ partis, Cardinalisque molimina mera esse commenta; ad quæ sat manifestè, ut suprà visum est, pertinent ejusdem Cardinalis proclamata ruina, Consiliique malignitas à Deo punita, unà cum assertis punitionibus; Pro quibus omnibus nulla adfertur authoritas, nisi suspecta, nulla proba, nisi jam tum refutata.

Num. 10. Diceret hic fortè aliquis pro M. Verino, quod R. P. Hierotheus nomen *Persecutoris*, tum Cardinalem Vitellium directè, tum Observantes indirectè tangens, non posuerit in Corpore suæ *Epitomes*, sed solùm in Indice illius, ubi sub lit. P. *Persecutores Ordinis puniuntar jam à Deo, jam ab Ecclesia*, remittit Lectorem ad istum Cardinalem Vitellium, tanquam taliter punitum; adeoque non sit ratione istius in Boverio expunctæ expressio-  
nis arguendus. Respondeo, quod forsitan isti effugio non nihil accederem, nisi in instruc-  
tionibus Pontificiis, Indici Generali Libro-  
rum Prohibitorum prefixis, serio moneren-  
tut Librorum Correctores, ut diligenter atten-  
derent, etiam ad ea, quæ in Prologis, & In-  
dici-

dicibus Librorum continentur, seu (ut propriis Pontificum verbis utar) tamenquam in insidiis latent.

Num. 21. Item pag. 114. in tono gravi me reprehendit M. Verinus ex eo, quod (forte non ego solus) durius intellecterim adhuc aliud assertum Hierotheanum, quo in Epitome pag. 247. dicebatur, quod nonnulli nullo modo *quaesierint nomina sua Vindicare ab interitu, suasque Societates à Corpore Observantino absindere.* Unde M. Verinus Crisi meam cum errore, ut inquit, crasso conjunctam primum cuiusdam grammatico, deinde Theologo discutiendum relinquens, in persona talium probat, id intelligendum de interitu temporali, nullatenus vero de Spirituali. Et tandem pag. 117. contra me concludens subdit: *En benevole Lector! quo brus & fulmina in unicum phantasma, seu ut verius loquar, in phantasmatis unibram, tum ab intellectus errore, tum à Charitate voluntatem inflammante vibrantur.*

Num. 22. Fateor, mi M. Verine! passum hunc Hierotheanum, si unquam alias, benignam pati explicationem; neque unquam ego ipse credidi, quod, sive hic, sive etiam in illo, quod suprà agitavimus, malevolentiae ab Hierotheanæ Voluntatis plena consideratione processerint. Ast! puto etiam id injuriam olere, quod exquisitis quidem interpretationibus verti potest in bonum, & nihilominus

etiam

etiam hic & nunc capi potest in malum; dum expressionibus hujusmodi exaggerativis vulgus (quod non semper Theologicas interpretationes habet ad manum) inducitur ad male de religiosa Familia sentiendum. Imò poterat Theologus mecum apprehendere sensum deteriorem, eò quod in *Epitome* plures aliae legantur expressiones, quae, ut suprà visum est, benignam interpretationem in suis contextibus excludunt. Hæc fortè in hac controversia nostra inveniet, notabitque cordatus Lector, quod M. Verinus applicato quoquaque studio, vix cum aliqua effectu efficacia possit mea dicta pertrahere ad sensum malum, prout ab initio hujus Capitis frustraneus apparuit conatus ejus; ad dicta vero Hierotheana hinc inde ad bonum sensum trahenda Capitis quodammodo, ac cerebri laceratione opus est; ut suprà patuit de *maligno consilio*, deque in suis circumstantiis, & contextibus considerata ibidem applicatione textus Davidici: *mis̄i, quia Dominus adjavit me, paulo minùs habitasset in inferno anima mea.* Ubi publicum non semper secum habet sensa Expositorum, sed capit, & apprehendit ea, quæ verba ex sua institutione communius significant; cuius paulo infra aliud adhuc adjicium exemplum Hierotheanum, unà cum benigniore M. Verini explicatione non subsistente.

Num. 23. Prius interim nonnihil adhuc examinandus occurrit passus superior à M. Verino

no explicatus per viduum improlem, qui transit ad secundas Nuptias, ut genus suum, vel nomen vindicet ab interitu, utique temporali, qui etiam intervenisset in casu non separationis RR. PP. Capucinorum suprà agitato, ubi circa explicationem quæro Imò: an de facto Recollecti E. G. ab Observantibus divisi, ac separati censendi sint ex eo, quod specialibus ieiœ regant statutis? Minimè: quia nedum ab eadem Regula, sed & sub uno, eodemque Capite (ex quo unitas Hierarchiæ consurgit) militant. idò: An Recollecti Discalceati, aliquæ in Ordine nostro nominati Reformati, suum genus, seu sua nomina non conservârint, ex eo, quod abscissionem à reliquo Corpore, & moraliter perseverante Capite, S. Francisci, quæ primi Generalis successore, propter unitatis pulchritudinem constanter abhorruerint? An non & usque in hanc horam in eodem Ordine nostro, licet simpliciter Observantino dicto, ad distinctionem Observantium Italæ &c. nominentur, genùsque suæ Reformationis, & specialia nomina retineant, ipsi sic dicti Recollecti, Discalceati, Reformati &c.? ut quid ergo obtruditur, totalem à Capite, & Corporæ separationem requiri ad hoc, ut Reformatio aliqua suum nomen (vel ut cum Grammatico M. Verinus mihi explicat) suum genus vindicet ab interitu? Proinde cum inter fugam temporalis interitus nominum hujusmodi, atque in-

ter

ter separationem à reliquo, sub unitate Capitis, Corpore evidens non appareat connexionis necessitas: Liberum legenti erat, animæ intelligere interitum; præsertim, cùm ex aliis in Observantiam, quasi corruptam, & à Regula collapsam dicteriis, isthac potius dura intelligentia, quām alia benignior veluti indigitaretur: dum passim Epitome deplorat: *Obscuratum aurum, mutatum colorem optimum &c.* Utì suprà pro parte vidimus. Talia quidem dici, & à superioribus in exhortatione domestica applicari possunt in omni Religione; si tamen una Religio, quantumcunque regularis, pro se alteri Religioni similia ad publicum applicat, comparatio pungit, & displacebit.

Num. 24. Sanè nec Observantes, nec etiam Recollecti erubescunt, etiam hodie confiteri nèvos suos; Ast laus Deo, insurgunt hinc & inde inter illos Viri Zelosi, qui malum, quod suâpte naturâ ingreditur, succidere, & Vulpes capere satagunt, quæ demoluntur Vineam. Si autem tales Zelosi (quibus, sicut nec Religiones aliæ, sic nec Ordo noster ullo tempore caret) si inquam tales statim fese ab aliis, Ordine, & Capitis confortio dividerent; & hoc quidem, ut nomen, seu genus suæ Reformationis (quod equidem non amissuri essent) in- & pro se acquirerent, & conservarent, seu ab interitu vindicarent: Nonne reliquum

Corpus

Corpus merito ingemiscens doleret? quid enim est dolor, nisi sensus divisionis, & separationis impatiens? Waddingus autem, quem M. Verinus adducit dicentem, quod Amadæitæ contendint Congregatiunculam suam ab interitu conservare, aperiū loquitur de interitu Congregatiunculæ istiusmodi, ut particularis & independentis: ejusque dictum satis declaratur legitimum ex circumstantiis, & contextibus, qui in omnibus simul loquuntur, & sanam verborum intelligentiam manifestant. Imò ex ipsis verbis, aliud est nomina; & aliud Congregationem vindicari ab interitu; quatenus interitus Spiritualis nunquam censetur habere locum in integra Congregatione.

Num. 25. Pro illis, per quæ Numerum 22. supra conclusimus, adhuc facit alia in *Epitome Hierotheana* contenta expressio, quæ Observantes ad ornatum utique universi, dicebantur *Fraternus Satan, iteratus Satan &c.* Dum ego in *Dialogo Contin.* charitativam hanc expressiōnem nonnihil, uti dignum mihi videbatur, censuraveram, M. Verinus inscitiam meam, & simplicitatem stylo Hierotheano excipiens, pag. 31. inquit: „ Advertatur 2dò, inscitiam „ & simplicitatem olere, quod in *Dialogo* „ *Continuato* pag. 64. tò *Fraterus Satan*, ceu „ quid *improprium*, *vel immodestum*, *vel in-* „ *juriosum* notetur. Satan enim, prout apud „ *Burium in Onomastico Etymologico* licet le-

gere,

„ *gere*, nomen Hebraicum, in latino *idem*,  
 „ quod *Adversarius* est. Nunc verò, quòd  
 „ *Minores Observantes Capucinorum hinc inde*  
 „ *Contradictores*, seu *Adversarios* egerint, Le-  
 „ tor perspicere poterit. Rogo similiter &  
 ego, ut discretus Lector inspiciat, an *Praternus*  
*Satan Observantinis*, uteunque prætensis ad-  
 versariis sit nomen *proprium*, & cum *modestia*  
 explicandum, ut ex superioribus verbis eruitur,  
 dum M. Verinus prætendit, non esse quid *im-*  
*proprium*.

Num. 26. Respondeo *imprimis*, publico  
 promiscuè de Libris Etymologiarum non esse  
 provisum, nec aliunde omnibus vacare illos in  
 obvia lectione semper consulere; Unde fit, quòd  
 ex nomine *Satan* (utrì allàs in Litteris ad R. P.  
 Hierotheum datis dixi) Capiti alicuius hominis  
 superimposito, imponentis non bene sed male-  
 volentiam colligat: quam, si justam quis arbi-  
 tretur, judicat consequenter illum, qui tali no-  
 mine dignus est, mali aliquid, immo *maligni* com-  
 mississe; hoc enim indicat communis hujus vo-  
 cabuli acceptio, quidquid sit de ratione, ob  
 quam nomen est inventum, suæque significa-  
 tioni accommodatum. Pro quo facit, quòd Vul-  
 gus sit suspicax dicente Hovatio: *quippe homines*  
*plerique suamus malè suspiciosi*. Deinde Ethimo-  
 logias etiam profundiùs scrutans novit quidem,  
 per nomen *Satan* Adversarium designari; ab  
 non qualemcumque, sed Antonomastice talem,

de

de quo i. Petri 5. Fratres Sobrii estate, & Vigilate, quia Adversarius vester Diabolus &c. & alibi: Vade retro Satan. Et comparativè Jobi 2. v. 3. habetur: dixit Dominus ad Satan, nunquid considerasti serrum meum Job, quod ei non sit similis in terra? Ex quibus iterum patet, quantæ molis sit, ab Hierotheanis hujusmodi expressionibus injuriam avertere, easque in bonum communi intelligentiâ accipere; cum equidem econtrario sat injuriosum reputetur id, quod vel in malum facile intelligi potest, sic & *infernus*, de quo supra, semper aliquid sonat nigri, & post huma aliqua vulgo superinfundenda benignior interpretatio non impedit, quin idem vulgus ex Sacri textûs impropria applicatione, possit non modicum offendit. Et hæc de S. Scripturæ utrimque citationibus, dæque Cardinalis Vitelii *Maligno confilio*, & R.P. Hierotheo asserto, & per M. Verinum defenso, in Dialogi Continuati defensionem dicta sufficiant: quia & alia, quæ in *Discursu Polémico* plurima quidem, sed minutiora sunt, atque hoc pertinentia, movere non vacat. Pro quibus sit dictum Augustini lib. 7. de Civit. cap. 19. ista, quæ à veritate non veniunt, plerūmque, etiam nullo impellente, se ipsa subvertunt. Insuperque suadet Phocilides Poëta: ne capias omnes nidi aviculas, & Matrem avolare finas, ut alios capere pullos deinceps possis.